



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.DC.XL. Sancti Patris Benedicti. M.C.LX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

re, loco quem vivens designaverat tumulatum: ipsa in calentissima sanctitatis succedens vestigia, neque multo post solemniter consecrata. *Ex vita Margarite, & R. P. Amando Tribout, &c.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XL.

Sancti Patris Benedicti. M. C. LX.

Montis Serrati & Vallisoletana in Hispanijs Congregatio, viris & summè perfectionis laude, & singulari eruditione clarissimis effulget mirificè; è quibus diversis locis, Academicis & Universitatibus, ad Cathedras doctissimi quivis eveci, nonnulli in Pontificias sublati sunt, quibus plurimum ornamentum magno virtutum splendore, plurimum commodi, memorabili meritorum copia attulerunt. Ex his hoc ipso anno ad sedes, quod sperandum, Beatorum Empyreas translatus est Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Placidus, Placentinus prope Salmanticam, Episcopus, vir summis honoribus longè dignissimus, contemptu in primis sæculi generosissimus & gloriosissimus. Cum enim Illustrissimo ortus Genere, è familia Pacieca (Pacheca) è Vetustissimis Ferreiræ Principibus, & Marchionibus Carpenfisibus, magno apud omnes respectu esset, dulce jugum Christi, & servitium cunctis mundi deliciis & vanitatibus prætulit, & in Sancti Vincentij Canobio Salmanticensi cucullum amplexus, in Domo DEI abjectus esse elegit, quantò minor in oculis suis factus, tantò majoribus gratiis à Numine eveci, ita ut magni ab omnibus, & ipsis maximè superioribus fieret, quem & cum insigni eruditione excelleret, ac præter eloquentiæ & singularem faciendæ nitorem, Zelo juvandi proximos totus arderet, ipsum pro concione dicere iusserunt, tantopere in hoc ipso munere commendatum, ut tota paulo post Hispaniâ celebraretur: ipsumque audire Rex ipse Catholicus expeteret, magnòque cum gustu audiret. Concionator proin Regius renunciatus, maximo id fervore, nec minore etiâ fructu peregit: vitæ quam maximè integrioris exemplo, eloquentiam juvante, ingensque verbis pondus afferente; sed & non modicam conciliante auctoritatem ipsâ Generis Illustrissimi dignitate, juxta quam

summa animi demissio, & magnarum contextus virtutum, intentos omnium oculos animòsque rapiebant & sumopere afficiebant. Nec ita solummodo Regi, Aulæ, & confluenti ad tantum Oratorem populo se probabat, sed & Ordini suo, ita ut pro proximis talentis & spectatissimis Virtutibus, paulo post, summa omnium gratulatione, totius Congregationis Generalis eligeretur. Quo in munere, ita se gessit per omnia, ut eo dignissimus factis ipsis comprobaretur, omnes omnino quos regendos susceperat, suo exemplo antegressus; iidem tanto etiam promptius tanto parenti manus dantibus, & vestigia imitatione, prementibus, quanto inexcusabilis videbatur, ositantius agere, cum tantæ familiæ virum, tamque tenerè educatum atque ab ipso Rege habitum, adeò generosè omnes sacri rigoris difficultates subire, & superando ceteros antevertere intuerentur. Demum Placentinus renunciatus Episcopus, & Comes Perniæ, (qui Comitatus Episcopatus est adjunctus) in perfectissimo statu se constitutum intelligens, & quasi expavescens, in id unum tota animi intentione incubuit, ut juxta Apostoli monita, muneris sui rationem haberet, & crediro sibi grægi pro virili consuleret. Quod cum feliciter, uti fideliter, aliquamdiu summa cum laude, & merito immortalis præstitisset, hoc tandem anno, cursum vitæ explevit, & magno sui apud omnes relicto desiderio, mortalitatem exiit, relicta post se famæ nominis immortalis. *Franciscus de Argaer & rer. Hisp. Script.*

Nec minore gloria effloruit hoc ipso tempore ex eadem Congregatione eodemque Hispaniarum Regno Illustrissimus & Reverendissimus P. F. Martinus de Rianno, frater germanus totius Castellæ Regni Præsidis, vir & ipse incomparabilis, quique pro vitæ eximijis meritis, ad varias promotus dignitates, Regium & ipse Concionatorem summa cum omnium admiratione egit, & ad Legionensem Episcopalem celeberrimam Cathedram provehi meruit, in qua re vera, tanquam lucerna fulgentissima posita super candelabrum cellissimum eluxit, suisque verbo & exemplo, non tam præfuit, quam profuit, insigne & ipse totius

*Placidus
Placentinus
Episcopus.*

*Summa
familia.*

*Concionator
Regius.*

*Creatur
Episcopus.*

Martinus.

*Martinus
de Rianno.*

*Creatur
Legionensis
Episcopus.*

Ordinis & fulcrum & ornamentum, ut sibi haud immerito, & Rex ipse Catholicus & Regnum universum de tantis pastoribus gratularentur; imo Saceræ Romanæ Ecclesiæ, plurimum inde solatij accresceret, dum in tantorum, tamque vigilantium pastorum laboribus atque vigilijs securè acquiesceret, & de uberrimo fidelium per amplissima Regna fructu à talium Præfulum exemplis, magna prorsus sibi polliceretur. *Ex Hispan. rer. Scripturis.*

Matthias
Longius
Abbas Ma-
riamontana-
ensis.

Evocatur hoc anno ad præmia æternitatis Reverendissimus & Amplissimus Dominus Abbas MARIE MONTANUS Dominus Matthias Longius, primævo Ordinis saculo dignior quam isto, huic tamen necessarius magis & utilior, antiquis omnino moribus, & à puero maturis, ita, ut admirationi merito esset omnibus, & Virginem & Angelum, præferre in omni actione visus. Is in Monasterio Sacrosancti SANGUINIS Christi Vinearum, vulgo Weingarten, Monasticen professus, Professionis seriæ exemplar se Confratribus præbuit, talis & semper & ubique, ut nunquam non Professionis suæ meminisset, talis omnino per omnia, de quo sibi Superiores & Collegæ omnes plurimum gratularentur. Momenta temporis omnia sedulo attendit, & appendit, sed & utilissimè ob hoc ipsum impendit, oij juratus hostis fuit, sacri silentij Regularis, tenacissimus custos, ut qui ejus dignitatem & utilitatem inter præcipua Ordinis haberet, & de prædicaret. Minutissima Regulæ inter momenti maximi res habuit, atque ad eadem, quantum per consuetudinem loci licuit, sese ad amussim accommodavit. In omni quod proponeret, susciperet & ageret, perspicacissima se prudentia prodidit; in loquendo verborum consideratissima paucitas, & nihil sine pondere fuit. Ipsius erga DEUM charitas singularis ex ipsa devotione facile apparuit, cum in Oratione, mira corporis & angelica quasi compositione totus quasi absorptus videretur, & fortè interpellatus, quasi à somno dilectorum Domini excitatus, a tonitus se colligeret; ac dein loquentem attenderet. Erga proximos charitate accensissimus fuit, neminem unquam seu verbo seu factò visus offendere, venerari omnes solitus, do-

In omni
vita castis-
simus.

lentibus condolere, congaudere gaudentibus, omnibus benè velle. Et sanè ejus similem vidisse non meminimus, adeo cautum, attentum, modestum, sobrium, compositum, ut planè appareret cum Henoch & Noe, in omnibus vijs suis *cum Deo ambulasse*, & huic præsentior semper quàm sibi metipsum fuisse. Sic incedentem semper, cum observarent omnes, & merito colerent, petente sibi Coadjutorem sanctæ memoriæ Abbate Georgio, in Matthiam facile consensere Weingartenses omnes, nemine quàm ipsomet qui electus fuerat, reclamante, etsi nequidquam: nemine sibi gratulante magis, quàm Georgio, de tanto cum tempore successore. Verùm biennio post, vacante diutius, nec minimum periclitante Mariamontano Venustæ Vallis in Comitatu Tirolensi Canobio, Abbas postulatus anno millesimo sexcentesimo decimo quinto 27. Octobris omnem felicitatem loco illi una secum intulit, & disciplinam in primis sedulo curans, Religiosorumque, augens numerum, in Oeconomiam inde strenuè incubuit, omneque æs alienum feliciter dissolvit, prata, agros, vineas, prædia redemit, miro prorsus rerum successu, ut nemo dubitare posset, singulari omnia ipsi obvenire Numinis benedictione. Tum ad Canobij ruinosi & minus pro Religiosa disciplina accommodari, restaurationem, conversus, postquam ea quæ meliorari poterant emendasset, ingentem & pretiosissimam, Conventus fabricam, à fundamentis (in magnam, attollens sublimitatem ex montis satis præcipitis declivitate,) incredibili labore & dexteritate extruxit; ea omnino Architecturæ moderatione, ut nemini non intuentium insigniter probaretur, nihil ad ostentationem, etsi elegantia omnia, & quàm commodissima essent, ut fateri cogentur universi & domestici & hospites, Matthiæ Abbati ob hoc tam egregium opus immortalem à presentibus & posteris memoriam deberi summamque gratiarum actionem. Nec infelicio in templi structione & expolitione fuit, ita ut longè latèque tanti Præfulis nomen celebraretur, cui summa vita integritas, maximam apud vicinos omnes conciliavit auctoritatem, apud exteros laudem,

In omni-
bus vijs suis
cum Deo
ambulans.

Eligitur
Abbas Ma-
riamont.

Monasteri-
um eleganti-
ssime con-
struit.

Templum
insigniter
excolit.

apud

apud serenissimos Principes amorem. Verum ille nihil sibi honoris arrogans, sed & totum Deo adscribens, cum suis Religiosis, ita vixit, non ut Dominus, sed ut illorum omnium, in procurando necessaria minister, in elargiendo ut Pater, omnibus revera omnia factus, ita tamen ut ab omnibus non minus timeretur quam amaretur; etsi ad correctionem, non tam strenuitas & rigor valeret, quam exemplum, cujus contuitu, nemo non quidquid in se vitiosum esset, & deprehenderet facile, & in seipso confunderetur. Ita praestitit felicissimo, dum vixit, Caenobio, & felicitatem etiam successoribus reliquit, praeter nummorum sufficientiam, etiam omnia optimè constituta, & mortem facile ex annis & defectu virium praevidens suam, ad eandem sese etsi tota vita comparasset, sub extrema tamen, totus in hoc unico fuit, ut paratissimus vocanti Domino fidelis revera servus & prudens occurreret. Ita munitus denique omnibus, ex more sanctae Romanae Ecclesiae, Sacramentis, placidissime decessit, ingenti sui relicto desiderio, maximo non solum Mariaebergensium, sed suorum Weingartensium luctu, quibus consulere nunquam desijt, & per calamitatem belli Sueco Germanici, plures benignè complexus, paternè fovit & aluit, ornamentum utriusque Caenobij, imo Ordinis universi sempiternum. Mariemontani Parenti optimo sequens Epitaphium posuere:

Præfuit sanctissimè non minus quam religiosissime,

Sanctissimè vita excedit.

Epitaphium,

Anno Christi M. DC. XL. XX. Maij Matthias Reverendissimus Dominus Abbas XXXV. Monasterij S. MARIE de Monte, postulatus ex Monasterio Weingartensi, qui Monasterium hoc partim restauravit, partim de novo reedificavit, pluribusque praedix: Vinetis & provenibus auxit: eaque propter meritisimo, ALTER FUNDATOR audit. Præfuit autem Administrator annos sex, Abbas vero viginti quatuor,

Corpus post aliquot annos incorruptum.

Ex lamina stanni feretro & tumbae imposita. Habuit fratres germanos duos, alterum Oeconomum, & Priorem Caesareensem, alterum Joannem Abbatem Ochsenhulsanum, utrumque, fratris minimè dissimilem. Ceterum memorabile valdè, Matthiae post aliquot annos corpus, repertum non solum incorruptum, sed barbam,

quam ante obitum habebat, candore niveam, juvenili flavedine commutatam, haud dubio indicio Angelici animi, corpus Virgineum olim inhabitantis, atque ob hoc ipsum, tanto post incorruptum, exemplo nostrae aetate in primis memorando. *Ex monim, Weing. Mariaeberg. oculatisque testibus.*

Ipsò anno 1640. die 23. Decemb. moritur Ven. Vir P. Wenceslaus Assulus Monachus Cladubriensis Caenobij DEIPARAE sacri, qui tentatione olim victus cum inde se surripere vellet, ab ipsa DEIPARA retentus, religiosissimam deinceps vitam duxit, & cum grandi aliquando statua. B. M. V. è sublimi prolapsus prodigiosè servatus fuit. *Ex monim. ejusdem Caenobij.*

IESU CHRISTI ANNU S. M. DC. XLI. Sancti Patris Benedicti. M. C. LXI.

NE absque purpurâ Sanguinis toties Coelis in Ordine nostro commendatâ etiam postrema hæc nostra aetas, DEO, & Angelis, & hominibus spectaculum esset, in arenam & seenam hoc annò prodij sanctae memoriae, insignis Christi Athleta P. F. Ambrosius Barlo Congregationis nostrae Anglicanae Presbyter Monachus. Is Anglus patria, hanc pro Christo juvenili aetate deserens, Monachû Duaci, in Monasterio Sancti Gregorij professus est. Inde non minus quaesitâ denuo & repetitâ, quam relicta olim patriâ gloriosus, fidei propagandæ & propugnandæ Zelo æstuantissimus, ut illam & concives Christo lucraretur, ingentia pericula subire, labores perferre, molestias tolerare in praecipuis habuit: quin & suum denique cum vita Sanguinem, Christo pro patria, imò pro hostibus aequè atque amicis offerre gestijt, & generosè obtulit, post sanctam vitam, & diurnos viginti quatuor. annorum labores in excolenda Domini Vineae exanthlatis, copiosissime animarum fructum DEO oblatû, pro defensione sanctae Rom. & Apostolicae Fidei, hoc ipsò anno, quarto Iduum Septembris Lancastriae Martyrio consummatus, aetatis suae quinquagesimo quinto, professionis suae 25. Sacerdotij vigesimo quarto. *Ex litteris ad me datis Rev. D. P. F. Clementis Reineri ejusdem Congregationis meritisissimi Generalis, &c.*

Ven. Ambrosius Barlo Anglus.

Vir Apostolicus.

Martyrio coronatur.

Sed